







DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
**A R B I T R I O**  
EX  
**I V R I B V S R O M A N I S**  
**E T G E R M A N I C I S**

ILLVSTRATO

QVAM

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
INDVLTV

P R A E S I D E

**D. IO. GOTTLIEB SIEGEL**

IVR. FEVD. P. P. O. REG. ET ELECT. CVRIAE  
SVPREM. NEC NON CONSISTORII LIPS.  
ADVOCATO

DIE XII NOVEMBRIS M DCC XXXIX.

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISIONI

SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS

**IO. AD. STEINHAEVSER**

D R E S D.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



DISSERTATIO IURIDICA

DE

A R R I T R I O

EX

IURIBUS ROMANIS  
ET GERMANICIS

AVCTORE

IOHANNES

ILLUSTRIS IURISCONSULTORVM ORDINIS  
INDVLTV

FRASIDAE

D. IO. GOTTLIEB SIEGEL

IUR. CAND. P. D. REG. ET ELECT. CURIAE  
SVEVICAE NEC NON CONSISTORII IMP. S. R. M.

ADVOCATO

IN ACADEMIA IURIS

BLACIDAE ERADITORVM DISPOSITIONI

AVCTORE

AVTOR ET RESPONDENS

IO. AD. STEINHARTZ

DESSA

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGSCHEIDTIANAE







CONSPECTVS DISSERTATIONIS

CAP. I.

DE ARBITRIO EX IVRE  
ROMANO ILLUSTRATO.

§. I. *Definitur arbiter. Ostenduntur differentiae inter arbitrum et arbitratores.*

§. II. *Producuntur diuisiones arbitratorum.*

§. III. *De partibus arbitros constituentibus, de personis constituendis et modis constituendi agitur.*

§. IIII. *Tractat de rebus arbitrio subiiciendis.*

§. V. *Explicat modum procedendi, ab arbitris obseruandum.*

§. VI. *Varios arbitrii continet significatus, quorum noster est: sententia arbitri.*

§. VII. *De arbitrii requisitis agitur.*

§. VIII. VIII. *Remedia, quibus arbitria impugnantur, traduntur.*

A 2

CAP.



DE ARBITRIO, EX IVRIBVS  
GERMANICIS ILLUSTRATO.

- §. I. *Arbitrorum in Germania veteri usum  
sistit.*
- §. II. *In medio aeno.*
- §. III. *De Austregarum origine et iurisdictione  
agitur.*
- §. IIII. *Austregae sunt vel legales vel conuen-  
tionales.*
- §. V. *Earum usus legibus publicis firmatur.*
- §. VI. *Tradit modum procedendi, in Austre-  
gis usitatum.*
- §. VII. *Illustrat constitutionem arbitrorum  
priuatorum: iidem definiuntur.*
- §. VIII. *Exhibet diuisiones eorum.*
- §. VIII. *Ostenditur processus, qui coram iis  
instituitur.*
- §. X. *Adducuntur actiones inde prouenientes.*
- §. XI. *Applicatur tractatio ad leges Saxoni-  
cas, et inde Arbitrorum usus demon-  
stratur.*
- §. XII. *Conclusio.*





## PROOEMIUM.



ritum ac a Iureconsultis satis excus-  
sum argumentum de arbitrio L. B.  
videri posset, nisi certiozem eum  
facere possem, supereffe quaedam, hucusque  
nondum enucleata. Plerosque enim de hoc  
argumento ex instituto agentes cum plures  
controuersias praetermississe, tum quoque sen-



sum iurium germanicorum penitus non attigisse, ex scriptis eorum, quae ad manus fuerunt, me obseruasse, censeo. Idcirco hac elaboratione praesertim in id incumbo, ut usum huius tractationis moribus Germanorum ex propriis eorum legibus illustrare queam, ne iuris Romani sectator, Germanicas consuetudines contemnens, obiurgationibus, quibus Graeci et Romani a TACITO\* correcti fuerunt, itidem dignus euadam. Praeuerunt mihi Dn. DORNFELD Lipsiensis, et BEIER Argentoratensis, quorum dissertationes, de hoc argumento agentes sunt notae. Faxit Deus, ut meus labor itidem prospere succedat.

\*) Vid. in *Annal. L. II. c. 88.* ubi *Graecos culpatur, quod sua tantum mirabantur; Romanos autem, quod recentium incuriosos, vetera extollebant.*



C A P. I.  
D E  
ARBITRIO, EX IVRIBVS  
ROMANIS ILLUSTRATO.

§. I.

**A**rbitrium, vt sentiunt Grammatici, deriuatur ab arbitro: Hic autem alio sensu ab illis, alioque significato a ICtis accipitur. Sequitur Grammaticos Celeberr. SCHULTING<sup>a</sup>, qui arbitrum ab *ad* et *bito*, quod est *eo*, deducit, atque vocat *virum, qui rem adit et inspicit*, imo, *qui rem et actum videt*. Eandem delineationem agnoscere videtur CICERO<sup>b</sup>, dicens: *remotis arbitris*. Iam definitionem quaero. CUIACIUS<sup>c</sup> hanc suppeditat: *Arbiter est disceptator electus, ex compromisso partium, qui disceptandae inter eas causae officium in se recipit*. Cui et suffragatur Dn. A RYSSEL<sup>d</sup>. B. TITIVS<sup>e</sup> et BEIER<sup>f</sup> arbitros iudices appellant, attamen nec omnium assensu, nec assistentia legis. Differunt vel maxime arbitri ab arbitratoribus, quod tamen discrimen magno eruditorum subiaceret diffensui. Teste enim Dn. GROLLMANN<sup>g</sup> *quatruplex esse*

a) in Digg. T. de Recept. §. 1.

b) in Offic. lib. III. c. 31.

c) in Digg. Tit. de Recept.

d) in diss. de arbit. compr. th. 1.

e) in iure priuato L.VIII. c. 12. §. 4.

f) in diss. de arbit. compromiss. electis, Sect. I. c. 1. §. 1. Rationem praefertim in eo ponit, quod partes iudicis suscipere dicuntur, l. 23. §. 2. D. de recept. qui arbit. receper. cum etiam arbitria ad similitudinem iudiciorum redacta, l. 1. D. eod. quatenus multa habent cum iudiciis communia, l. 5. §. 1. D. eod. et l. 14. C. de iudiciis.

g) In Diss. de offic. et pot. arbitrator. §. 3. Hanc vero ita explicat: 1) *Arbiter*





esse debet differentia, et sentiente CAROLO DV FRESNE<sup>h</sup> pariter multiplex sese exerit; Sed praepremis reprehendenda mihi videtur sententia Dni. GROLLMANNI, cum statuit, *arbitratorem non semper secundum iustitiam procedere debere*. Sed quidni? facit enim eum in finem praefertim arbitratum, ne alterutri parti iniustum quid tribuatur. Meo iudicio *arbiter est persona, vel iure praecipiente, vel pactis litigantium, electa eo fine, ut controuersias obortas, certo ordine obseruato, dirimat*: Sententia eius dicitur *arbitrium*; Arbitrator autem est *consiliarius, qui media proponit, quomodo dissensus partium ex aequo et bono tolli possit*: Eius *arbitratus* per boni viri arbitrium corrigi potest<sup>i</sup>.

## §. II.

PROCVLVVS<sup>a</sup> duo genera arbitrorum agnoscit; RYSSSEL<sup>b</sup> *arbitros iuris, arbitratores et compromissarios* statuit:

*biter solenniter et loco iudicis cognoscit, l. 1. D. de recept. arbitrator e contra nulla obseruata iuris solennitate procedit. 2) Illius sententiae propter compromissum est standum, l. 76. D. pro Socio, huius vero arbitramentum, facta laesione ad arbitrium boni viri reduci potest l. 1. §. 2. Digg. de Rec. 3) Ille secundum iustitiam causam examinare et definire, hic vero non semper secundum iustitiam procedere debet, etc. 4) Illius sententia laudum, arbitrium, dicitur, huiusque arbitramentum, vel potius arbitratus, nominari solet. l. 43. D. de Verb. Sign.*

h) In glossar. ad Script. med. et infim. latinis. sub voce *Arbiter*, ubi inquit: *Arbiter est, qui iudicis partes suscipit, et qui cognoscit ordinario iudicio, sicut index; et ab eius sententia appellari nequit, et sententia eius dicitur arbitrium; Arbitrator vero, qui, non seruato iuris ordine, cognoscit et definit amicabiliter, inter partes, et pronuntiatio eius dicitur laudum, et ab hoc potest appellari, et illud peti, ut reducatur ad arbitrium boni viri.*

i) l. 76. D. pro Socio.

a) l. 76. D. pro Socio.

b) in diss. de arbitr. compr. th. 7.



statuit: LAVTERBACH<sup>c</sup> *compromissarios generales et speciales* tuetur: CAR. BRETVS<sup>d</sup>, *compromissarios et honorarios* agnoscit: alii aliter sentiunt: Ego *arbitrum necessarium*, quem ad eligendum partes iure disponente obligantur<sup>e</sup>, et *voluntarium*, porro vel ad omnes, vel ad quasdam dirimendas controuersias a partibus per compromissum electum<sup>f</sup>, defendo.

### §. III.

Circa arbitros recte ad *partes*, quae eos constituunt, *subiecta*, quae constitui debent, et modos constituendi respicitur. Procul dubio *constituunt arbitros*, quicumque res suas valide administrare possunt, nisi prohibeantur<sup>a</sup>, vnde si mulier alieno nomine compromittat, non erit pecunia compromissa, propter intercessionem: <sup>b</sup> pariter, et pupillo sine tutoris autoritate compromittente, arbiter cogendus non est, pronuciare<sup>c</sup>. *Arbitri constitui possunt*

c) in Dig. de Recept. §. 7.

d) in ordin. perantiqu. iudiciorum civilium, eorumque solemnibus. c. 19. de arbitris, vbi elegantissimi ICti leguntur verba: *Compromissarii enim sunt, qui, compromisso facto, interposita stipulatione poenae, deligebantur a partibus, si sententiae non compareretur, et honorarii, quibus sine compromisso rei cognitio deferebatur.*

e) v. BRISSON de Verb. signif. sub voce *Arbiter iuris*. l. 16. C. de iudic. l. 18. in med. *ibid.* GOTHFR. in nota *subiecta u)* ad hanc leg.

f) l. 21. pr. D. de Rec. l. 32. §. 15. *ibid.*

a) Conf. PETER MULLER ad STRVV. *Exerc. VIII. Lib. IV. tit. 8. th. 98. not. a.*

b) leg. 32. §. 2. D. de Recept.

c) leg. 35. Dig. de Recept. *excipe*, si *fideiussorem dederit*, a quo poena peti possit.



sunt, qui nec natura, nec legibus, ab arbitrio excluduntur: De incapacibus natura non est, cur multa faciam verba: legibus prohibentur: *Consul et praetor, non consularis absque potestate*<sup>d</sup>, minor XX. annis<sup>e</sup>, mulier<sup>f</sup>, feruus<sup>g</sup>, tutor et curator in re pupilli et minoris<sup>h</sup>. Contrahitio coecis<sup>i</sup>, filiis in causis patrum<sup>k</sup>, officio arbitratorum fungi permittitur. Denique *modis constituendi arbitros* annuero constitutiones per *compromissa*<sup>l</sup> quibus *iuramenta mutua, tam a partibus, quam ab arbitris, praestanda,*

d) CICERO L. IX. *ad Attic. Ep.* 9. GELLIVS *noct. Attic. L. XIII. c. 14. L. 3. §. 3. D. de Recept.*

e) L. 41. *D. de Recept.*

f) Iure tantum ciuili, l. 6. *C. de Recept.* Ratio legitur l. 2. *D. de Rogg. Iur. quoniam hoc officium est ciuile ac virile adeoque foeminis interdichum.* Secus disponitur iure Canonico c. 4. *dilecti X. de arbitris,* vbi eatenus foemina admittitur, quatenus iurisdictionem habet. IOANNES EMMERICVS A ROSBACH in *comparationibus iuris ciu. et canon. comparat. II.* foeminas ad arbitrium admittit, quatenus vel ex consuetudine probare possunt, imperia quaedam apud foeminas esse, vel ex privilegio principis ad hoc officium habiles factae fuerunt.

g) l. 7. §. 1. *l. 9. pr. D. de recept.,* qua cum consentit l. 8. §. 8. *D. de pecul.*

h) l. 51. *D. de Recept.* GROLLMANN *de offic. et potest. arbitrator.* consulto limitat sententiam: *si controuersia, vel contractus, super re immobili inaeatur l. 27. D. de administrat. et peric. tutor. l. 4. et 11. Cod. de praed. minor. Item si ius de re, inter litigantes dissidiosa, valde dubiosum inueniatur.*

i) *arg. l. 6. D. de indic.*

k) l. 6. *D. de Recept.* DONDORFF *diff. de patre et filio iudicibus mutuis, c. 2. §. 7.* et vice versa pater in causa filii potest esse arbiter, probante VALER. MAX. L. V. c. 8. §. 3.

l) *conf. LAUTERBACH in Digg. ad tit. de recept. §. 9.*



\* \* \*

*standa, olim adiiiciebantur<sup>m</sup>: nec inconfueta erat formula,  
ut de eo, quod dolo factum est, agi possit<sup>n</sup>.*

§. IV.

Decidit arbiter res mere priuatas<sup>a</sup>. Huc faciunt iura priuatorum et conditiones, de quibus conuentiones, iniuri possunt: exemplo sunt contractus, pacta, transactiones, seruitutes, stipulationes. Exulat autem in re propria<sup>b</sup>, in *controuersis pupillorum*<sup>c</sup> arbitrium ferendi potestas. Pariter rerum matrimonialium cognitio arbitris non permittitur. Sed quid de rebus criminalibus sentiendum? malle omnem cognitionem arbitris in iis causis negare: Attamen si quod illis concedendum, ita dicendum esse puto: I. Arbiter, tanquam priuatus, rogatu partium, de criminibus in tantum cognoscit, in quantum partes ius inde competens remittere possunt. II. Arbiter in delinquentes non inquirere; nec poenam in eos statuere potest. In quantum autem arbiter in controuersis, circa Feuda agitatis, decernere possit, nondum est definitum. II. Feud. 15. dispositio legitur talis: *melius esse, apud iudicem ordinarium vel arbitrum agere, quam in curia*

B 2

ria

m) IDEM, *ibid.* §. 12.

n) Hanc formulam Celeberrimus SCHVLTING in *Digg. de Receptis* §. 7. inde requirit, quod hac ratione per actionem ex ipso contractu dolus vindicari poterit, l. 31. D. et l. 3. C. de Recept. Vberius tuetur sententiam SCHVLTINGII Dn. DORNFELD, in *dissl. de arbit.* §. 22.

a) TITIVS *iur. priu.* L. VIII. c. 12. §. 9.

b) l. 51. D. de Recept. l. vn. C. ne quis in sua causa.

c) l. 35. D. de Recept.



ria Domini feudalis, de controuersia, cuius domino feudi interest. Vnde probare contendunt consuetudinum feudaliū interpretes, sedem materiae, de arbitri in causis feudaliū cognoscendi potestate, ibi reperiri: Sed non satis accurate allegatus textus ad hoc argumentum trahi videtur, quum consilium tantum suppeditet, et optima controuersiarum feudaliū disquisitio ex indole earum hauriatur: nempe praeprimis est determinandum, quales sunt controuersiae feudales. Quarum duae vel maxime sunt species: altera de feudo ipso, altera circa feudum suscipitur: Priori casu arbitri sententia plane reiicienda est, cum, compromittendo, Vasallus Domino feudi praeciudicare nequeat<sup>d</sup>: Posteriori casu contrarium est asserendum: nam eiusmodi hic expediuntur controuersiae, quae ad iudicem ordinarium pertinent<sup>e</sup>.

## §. V.

Controuersiae partium vel modo tractandi, in conuentione expresso, vel communi iudiciario ordine<sup>a</sup> ab arbitris dirimuntur. Sed de iuramentis, scilicet an et quatenus vel pars parti coram arbitris, vel ipse arbiter ea deferre possit, nulla, prout mihi constat, reperiuntur vestigia: hinc hoc loco quaestionem istam, qua vires valebunt, explicare conabor. Est vero partibus ea coram arbitris iuramenta deferre permittum, quae coram iudice sibi inuicem deferre possunt. Continet enim iusiurandum

d) ANTON Disp. Feud. IX. tit. 2. lit. f.

e) Ill. STRYCK Ex. iur. Feud. c. 19. qu. 22. et c. 25. qu. 18.

a) TITIVS L. VIII. c. 12. §. 11. iur. priu.



dum transactionis quandam speciem l. 2. D. de Iureiur. et compromissa ipsa ad similitudinem iudiciorum sunt redacta<sup>b</sup>.

## §. VI.

Expositis arbitrii antecedentibus, ordo tractationis me ad ipsum arbitrium ducit, quod varios continet significatus. Ita de sententia cuiuslibet<sup>a</sup>, de electione<sup>b</sup> et imperio<sup>c</sup> explicatur. Porro ARBITRIVM denotat iudicia, in bonum et aequum concepta, et ex bona fide redita<sup>d</sup> pariter actionem<sup>e</sup>. Denique, et qui proprie ad tractationem hancce trahitur significatus, ARBITRIVM est pronuntiatio arbitri, decisionem causae controversae continens, quo sensu vox arbitrii etiam apud auctores classicos et poetas occurrit<sup>f</sup>.

B 3

## §. VII.

b) l. 1. D. de Recept.

a) Ita enim CICERO pro Muraena c. 9. de Servio scribit: vitis ad aliorum arbitrium, non ad suum.

b) Huc facit locus CORN. NEP. de vitis excellent. Graciae Imperat. in Conon. c. 4. Id arbitrium Conon negavit sui esse consilii.

c) Testantur hoc CICERO pro Sexto Roscio Amerino c. 45. natu et arbitrio Iouis coelum, terra mariaque regantur, et SVETONIUS Caes. c. 7. in fine.

d) Probat hunc significatum BRISSENIUS de verb. signif. sub voce Arbitrium.

e) v. l. 23. §. 2. D. de aqu. et aquae plu. arcend.

f) Adfunt locupletissima testimonia Autorum, nempe CORN. NEP. in Arifid. c. 3. C. IVL. CAESAR. L. I. de Bello Civ. c. 13. et 35. cum quibus conciliari potest, quod III. COCCIVS in diss. de reduct. ad arbitrium boni viri, sect. I. §. 5. in fin. scribit: Proprie est arbitrium iudicium, seu id, quod de re sentimus, existimamus et iudicamus. Nec denique sunt omittenda, quae HORATIVUS L. IV. od. 7. canit

Cum semel occideris et de te splendida Minos  
Fecerit arbitria - - -



## §. VII.

Vt autem arbitrium recte se habeat, necesse est, vt, si plures arbitri electi, praesentibus omnibus<sup>a</sup> sit latum, nisi alternatiue fuerint constituti<sup>b</sup>. Saepe quoque agitata est quaestio, si plures arbitri diuersimode sentiant, quale arbitrium tunc ferendum? Maioris partis sententia valet<sup>c</sup>; si paris numeri, neutra subsistit<sup>d</sup>; minima tamen summa semper valet, quia et minor sub maiori continetur<sup>e</sup>.

## §. VIII.

Arbitrium appellatione impugnari non potest<sup>a</sup>, quum appellatio eo sine interponatur, vt iniquitas sententiae corrigatur<sup>b</sup>, arbitri vero sententia corrigi nequit<sup>c</sup>. Neque contra arbitrium *remed. l. 2. C. de rescind. vendit.* locum sibi vindicat<sup>d</sup>. Interim arbitrio intra X. dies contradici potest<sup>e</sup>, quo facto, vis arbitrii tollitur, quae vis contradicendi cessat, si arbiter cum sacramenti religione fuerit electus<sup>f</sup>.

## §. IX.

Pariter arbitrium, dolo vel corruptione arbitri euidenti latum, infringi potest<sup>a</sup>. Hinc recte negat Celeberr. BOECLER<sup>b</sup>, *litigantes in compromisso doli exceptioni renunciare posse, ne materia delinquendi detur.*

CAP.

- |  |                              |
|--|------------------------------|
| a) l. 17. §. 2. et fin. D. Recept.   | b) l. 8. D. eod.             |
| c) l. 17. §. fin. D. eod.  | d) c. l. 17. §. 6.           |
| e) l. 27. §. 3. D. eod.  |                              |
| a) l. 1. C. de Recept.   | b) l. 1. pr. D. de appellat. |
| c) l. 27. §. 2. D. de Recept.  | d) arg. l. cit. 27. §. 2.    |
| e) l. 5. pr. C. de Recept.   | f) c. l. 5. pr.              |
| a) l. 3. C. de Recept. SCHULTING in Dig. tit. de Recept. §. 13. aestimat, victum, si victor poenam persiqui velit, per exceptionem doli mali eum repellere posse, ex subscriptione Imperat. Antonini l. 32. §. 14. D. de Recept. |                              |
| b) in Diss. de arbitr. comprom. Cap. 2.  |                              |



C A P. II.  
DE  
ARBITRIO, EX IVRIBVS  
GERMANICIS ILLUSTRATO.

## §. I.

Semper antiquissimis temporibus Germani lites non ignorarunt, sed saltem apud eos non adeo frequentes fuerunt. Ortæ et gravissimæ cito *in conuiuiis* componebantur<sup>a</sup>, legum inopia lites non agente nec protrahente<sup>b</sup>. Post in regno Francico controuersie arbitrio electi iudicis decidebantur. Sic reperiuntur. in LEGE SALICA *medii electi*<sup>c</sup>: Pariter in pacto

CHIL-

a) Testatissima sunt verba TACITI in libello *de moribus Germanorum* cap. 22. quæ sic se habent: *Sed et de reconciliandis inuicem inimicis in conuiuiis consultant.*

b) HERM. CONRING. *de iudiciis Reip. German.* §. 18.

c) Vfus sum *commentatione* IOH. GEORG. ECCARDI, Francof. [et Lipf. M D C C X X. edita. Ibi tit. 14. hæc verba leguntur: *Si vero certa probatio non fuerit, XX. se iuratores exsoluat, MEDIVS tamen ELECTVS*†, *se iuratores non potuerit inuenire (malb. murdo) sunt din. ICC. faciunt sol. XXX. si adprobatus fuerit culp. iud.*

† ECCARD. in notis ad hanc legem dicto tit. synonyma mediõrum electõrum in medium profert: *Ipsi medius electus est Mediator, Internunci- us: PAPIAS arbitrum, iudicem et internuncium intelligit, WILHELMVS BRITO pacificatorem et actõrem concordie hoc nomine ornat: et denique in Glossis ISIDORI Receptor atque Actor concordie sic appellantur.*





CHILDEBERTI et CHLOTARII *medii electi* commemorantur<sup>d</sup>: In LEGE ALAMANNORVM ipsa vox: *Arbitrium*, occurrit<sup>e</sup>: Iterum in LEGE WISIGOTHORVM *ex consensu partium electi iudicis*<sup>f</sup> expressa fit mentio.

## §. II.

Iudiciorum eadem et medio aevo fuit facies: Nam pleraque aut per Episcopos aut per arbitros terminabantur. Sic *Capitulare Francofordiense ab Anno D CC XCIV<sup>a</sup>. contemptum arbitrorum prohibet*: Item *Capitularia Karoli M. atque Ludouici Pii Regum Francorum*, variis locis diuersimode et de arbitrio, et de arbitris disponunt: scil.  
*arbitrium*

d) Inferbitur hoc pactum: *Pactus pro tenore pacis Dominorum CHILDEBERTI et CHLOTARII Regum*, circa annum Christi DCCIII atque §. 2. et 8. praepimis de *mediis electis* meminit.

e) Exstat huius probationis locus *tit. LXXV. §. 2.* apud Consultissimum Doctorem GEORGISCH. in *corpore iuris Germanici*, Halae MDCCXXXVIII. edito, et connexa serie ita audit: *Si autem ipse grex iumentorum damnum fecerit, aut in prata, aut in messe, foris minetur, et dicatur Domino eius, ut veniat videre, quale damnum fecit; et quantum aestimauerit ARBITRIO, aut adfirmare ausus fuerit, quod tantum damnum fecisset, tantum Dominus iumentorum restituat.*

f) Clarissima sunt verba, quae *all. loco libr. II. tit. I. §. 14.* ab initio reperiuntur: Ait vero Lex: *Dirimere causas nulli licebit, nisi aut a principibus potestate concessa, aut ex consensu partium ELECTO IV-DICE trium testium fuerit electionis pactio signis aut subscriptionibus roborata.* Atque idem testantur verba §. 17. eiusd. *tit.* in medio: *vel partium electione iudex quisquam fuerit institutus.*

a) Inuenitur hoc Capitulare in Celeberr. STEPHAN. BALVZII *Collectione Capitularium Regum Francorum T. I.* inde vel maxime *Capitulum XLII.* ad thesin meam pertinet, cuiusque tenor sic se habet: *Vs electi iudices de vtrisque partibus non spernantur.*





arbitrium adimpleri debere<sup>b</sup>, praecipitur: appellatio ab arbitris<sup>c</sup> commemoratur: et traditur, causas controuersas ab arbitris dirimi<sup>d</sup>. Porro sub imperatoribus Saxonis saepe, quae legaliter fuerant punienda, ab arbitris, Regis permissu, discutiebantur<sup>e</sup>: Proximum post locum obtinet illustre illud arbitrium, quod Anno M LXXVII. status Imperii, Henricum IV. Imperatorem regno priuare molientes, nefasto quamuis modo, in Pontificem Gregorium VII. contulerunt<sup>f</sup>: Seculo XII. ecclesiasticas controuersias<sup>g</sup> ad arbitros deferre moris erat, et XIII. cum apud Saxo-

b) Legantur *Capitularia Regum Francorum* apud EVND. T. I. L. VI. Capitul. XXII. a verbis: *Et si arbitres iudicauerint, duplum restituat proximo suo.*

c) Huc faciunt T. I. L. VII. Capitul. XXXV. *ibid.* verba in fine: *Et ut ab electis iudicibus non sit prouocandum.*

d) Confulas hic T. I. L. VII. *ibid.* Capitula CLIII. et CLXXVIII.

e) Testatur hoc AVTOR vitae *Matildis* cap. 2. p. 195.

f) Inauditum hoc aestimat arbitrium Celeberrimus Historicus GEORG. SCHVARTVS, in tractatu eruditissimo, de *Henrico IV. Imperatore, exemplo turbatae reipublicae*, quapropter in status Imperii adeo inuehirur, vt nec eorum dignitati cedat. Verba huc pertinentia pag. 44. ita audiunt: *Admirandus hic mortalium super merito putandus, ni cuncta ex ingenio Hildebrandi, et stilo illius Curiae concinnata fuisse, abunde nosceretur. Quid grauius contra libertatem, a tot saeculis patriae virtute assertam, committi poterat? Germaniae principes ad Pontificem Romanum prouocant, eumque errorum summi principis arbitrum constituunt. Qui totus non tam ditioris, electionisque, quam confirmationis intuitu, ceu iam ostendimus, regio Germanorum imperio suberat, iam supremus praesse audeat Caesaris quae sor atque index. etc. etc. etc.*

g) Exemplo est controuersia de definitione terminorum ecclesiae Dobrilucentis, quae suis propriisque arbitris decidebatur. Qui fuerunt Hertwicus scil. Prebisk et Thiboldus de Belgora, vt patet ex priuilegio ecclesiae in Dobriluch, a Theodorico Marchione Mithenti dato, CID CC ap. III. A LVDEWIG. in *reliqu. MSCtorum. T. I. p. 15. 16.*



Saxones<sup>h</sup>, tum apud Alamannos<sup>i</sup>, arbitria in usu fuisse, expressis iurium prouincialium textibus probari potest. De eodem arbitrii usu ex *controuersia honoris* Anno M CCC LII. inter OTTONEM Ducem in Brunswich et HENRICVM Ducem Lancastriae<sup>k</sup> mota, constat: Ac denique bellum Anno M CCCC XCII. inter HENRICOS Iuniorum et Seniores, Duces Brunswic. et Luneb. ciuitatemque Brunswicensem<sup>l</sup> conflatum, iudicium, partium consensu electorum, auctoritate compositum fuit.

## §. III.

h) Vid. *der Sachsen-Spiegel* (Cod. Lipf. cura III. GAERTNERI editus)

L. I. art. LV. cuius est tenor: *Alle weltlich Gerichte hat begin von kore, darumbe en mag nichem gesaczt man richter sin; noch nieman her en si geboren oder belenet richter. Clarior est Glossa ad dict. art. Etliche sind gekorne richter, die beissen Entscheider, L. I. D. de Recept. Diese Richter, die do Arbitri oder Entscheider beissen, werden zwocyertley wise erworbet: Entweder zu einem Dinge, so albreit geschehn: oder ob eine Sache geschehn. etc. Iunge Glossam ad art. XI. L. II. ibid.*

i) De quo testatur *das Schwaebische Land-Recht* (Cod. antiquiss. WVRMBRAND. curante Nobili A BERGER prelo subiectus) ibi pag. 124. disponitur: *Ain ieglich weltlich Gerichte hebet sich von kür, das ist also vil gesprochen dasz chain herr den läwten sol chainen richter geben, wann den sie wellent, und an dem soll der ding aller chaines sein dew wir hie nennen. Ibid. pag. 136. Ain Vogtai ist nicht recht leben, wan wa man sol richter nemmen nach der Laewt kür.*

k) Suscipiebat hoc arbitrium Potentissimus Rex Galliae Iohannes d. II. Dec. eiusd. anni, teste III. A LEIBNIZ T. II. *Script. Rev. Brunswic. p. 8. et 9. item pag. 47. usque 49. ibid.* Erat idem Iohannes Philippi Valesii filius natu maior, atque quinquagesimus Rex Galliae, teste CHEVREAV dans l' *histoire du monde, Tome IV. L. V. p. 104.*

l) Erant huius belli medii ex parte principum, Sereniss. Elector et Marchio Brandenburg. Iohannes, atque Reuerendiss. Ecclesiae Magdeburgensis Archiepiscopus Ernestus Saxoniae dux; ex parte ciuitatis Brunswic. Reuereudiss. Dominus Bertoldus Hildensemens. Eccles. Episcopus, atque ciuitates Hanseaticae, vid. A LEIBNIZ *ibid. p. 52.*



## §. III.

Tandem ad nostra accedo tempora, quibus, vti olim, duplex adhuc arbitrorum in vsu est diuisio: Altera species *controuersias illustrium* definit, et *Austregarum* nomine exprimitur: Alterum genus *lites priuatorum* diiudicat, et nomen iuris ciuilibis, nempe *Arbitrorum*, adhuc hodie ser-uauit. De singulis separatim. Sunt autem Austregae, iudice BESOLDO<sup>a</sup>, a verbo, *austragen*, dictae, i. e. *dass etliche dem H. R. R. ohne Mittel unterworfenen Glieder ihre Zusammen habende Differenz, Irrung und Zueyung, gegen einander, vermittelt derselben nach Maafs und Weis in den Reichs-Gesetzen vorgeschrieben, rechtlichen austragen oder beylegen sollen.* Melius Austregae, definiente BEIERO<sup>b</sup>, sunt *iudices, ad decidendas statuum lites, vel per sanctionem publicam, vel per conuentionem priuatam huius aut illius status, designati.* Quarum origo, non dicam inexploranda, attamen non satis certa est. Nam a quibusdam Austregae conuentionales iam ante Maximilianum I.<sup>c</sup>, ab aliis sub seculum XV.<sup>d</sup> collocantur, ab aliis quarumcunque Austregarum origo a magno Germaniae interregno post Fridericum II.<sup>e</sup> deriuatur. Ego, saluo aliorum iudicio ita sentio. Austregarum conuentionalium vsus antiquissimus est, quum e contrario Austregae legales Imperatorem Maxi-

C 2

ximi-

- a) Vid. *Theaur. pract.* sub voce *Austregae*.  
 b) Conf. *Diff. de arbitris compromisso electis.* Sect. II. c. 4. §. 1.  
 c) Sentit ita LIMNAEVS in *Iur. Publ.* T. III. L. IX. c. 5. n. 12. 13. 14. 15.  
 d) Leg. DATTIVS in *Comment. de pace publ.* L. I. c. 27. n. 62. 63. 64. et 65.  
 e) Hanc opinionem fouet. Celebert. CONRING. in *diff. de iudicijs Reip.* Germ. §. 53.



ximilianum I. solum agnoscunt autorem <sup>f</sup>. Sed de quibus cognosci potest ab Austregis? Respondeo: de omnibus, quae expressè non reperiuntur exceptae. In delictis, quae Imperatorem et imperium tangunt, austregarum usus cessat; Sin vero status Imperii in constatum deliquerit, et hic reparationem damni perpeffi vrgeat, adhuc sub iudice lis est, an Austregarum iudicium sit fundatum? Affirmatiuam ex rationibus non contemnendis tuetur LIMNAEVS <sup>g</sup>, negatiuam propugnat SCHWEDERVS <sup>h</sup>. Causae feudales, vnde ad amissionem feudi imperii agitur, coram Austregis ventilari nequeunt <sup>i</sup>; hinc rectè Austregarum usum admitto, si inter status Imperii nec de Feudo imperii, nec de amissione Feudi imperii lis oriatur.

### §. IIII.

Duplices sunt Austregarum species, puta *conventionalis* vel *familiarum*, et *legales* <sup>a</sup>: Legalibus vtuntur partes litigantes, deficientibus conuentionalibus <sup>b</sup>. Nec silentio

f) Liquet hoc optime ex *Ordinatione Camerali de Anno M CCCC XCV. tit. wie Chur-Fürsten, Fürsten und Fürstmaessige einander zu Recht fordern sollen*, vbi Maximilianus I. sancit: Welche aber gewillkürte Auswaegge gegen einander nicht haetten, sol der klagende Chur-Fürst, Fürst oder Fürstmaessige den Chur-Fürsten, Fürsten oder Fürstmaessigen, geistlich oder weltlich, an den er Spruch oder Forderung vermeint zu haben, beschreiben, und ihm sein Spruch oder Forderung in solcher Schrifft anzeigen, mit Ersuchung, ihm darun Rechts zu pfliegen.

g) l. c. n. 60. sqq.

h) In *Introductione in Ius Publicum, Part. Spec. Sect. II. cap. 17. §. 13. p. 1002.*

i) *Ordin. Camer. P. II. tit. 7. STRVV, Syntag. iur. Feud. cap. ult. apb. 5. GAIL. L. I. obseru. I. n. 52.*

a) Confirmatur haec diuisio *art. XIX. Capital. nouiss.*

b) Vid. *Ordin. Camer. de anno M CCCC XCV. tit. wie Chur-Fürsten, Fürsten und Fürstmaessige einander zu Recht fordern sollen.*



lento hic praetereundum, Aufregas conuentionales ad certas personas adstrictas esse. Inter alias illustres familias aufregis conuentionalibus gaudent SAXONICA<sup>c</sup> et HASSIACA<sup>d</sup>, atque plures aliae, quas posthac quaedam IMPERIALES CIVITATES<sup>e</sup> sunt secutae.

## §. V.

Sanciunt quoque leges Imperii publicae expresse de illibatis Aufregarum iuribus: Ita enim in *Ordin. Camer. Wormat. de A. MCDXCV.*<sup>a</sup> tit. *wie Chur-Fürsten, Fürsten und Fürstmaessige einander zu Recht fordern sollen*, et Aufregae conuentionales confirmantur, et legalibus modus certus procedendi praescribitur. Cum qua consentit *Ordin. Camer. Wormat. de Anno MDXXI.*<sup>b</sup> tit. 33. §. 7. ubi legitur, sententia inaequali, ab Aufregis lata, et partibus in eligendo alio Arbitro non conuenientibus,

C 3

a Cae-

- c) Notatu dignae sunt hae Aufregae, pacto Numburgensi anno MDLIV. confirmatae, et quarum argumentum ex archiuo communicauit Illustri GLAFEY *im Kern der Geschichte des Hoben Chur- und Fürstlichen Hauses zu Sachsen*, in *Beylagen no. V. pag. 1054.* a verbis: *Ob auch kuensfrig zwischen uns oder unsern Erben und Nachkommen*, etc.
- d) De hoc argumento optime testatur *der Erbvertrag des Fürsten zu Hefsen wegen der Stamm-Austraege, den XXVIII. May MDLXVII. festgesteller*, cuius extractum ex documentis ad deductionem causae principalis *der Marpurgischen Succession p. 37.* haufit et inseruit LIMNAEVS, *iur. publ. T. I. L. V. c. 8. n. 6.*
- e) Catalogum eiusmodi ciuitatum Imperialium exhibet LIMNAEVS in *iur. publ. L. IX. cap. 5. n. 16.* ubi *Strasburg, Eslingen, Nürnberg et Regenspurg* harum numero accenset.
- a) Huic applaudit *Ordin. Camer. August. Vindel. Anno MDLV.* promulgata *P. II. tit. 2. §. 1.*
- b) Eadem legis reperitur dispositio, in *Ordin. Camer. de A. MDLV. P. II. tit. 4. §. 11.* exceptis verbis supra: *Als denn soll unser Stadthalter*  
und



a Caesareo vicario, ad preces vtriusque, vel vnus partis, tertium, neutri litiganti obstrictum, constitui debere. Porro iuxta *Ordin. Cameral. de A. M D L V. P. II. tit. 4. §. 18.* Aufstregae approbatae, quando inter ciues, rusticos, aliosque subditos et principes vel principali dignitate gaudentes litigium oritur. Pariter in modo *alleg. Ordin. P. II. tit. 8. §. 14.* actori iure Aufstregarum in causa spoliū vti permittitur, et *in fine ibid.* sancitur, vt intra annum arbitrium feratur. Haud minus quoque *Instrum. Pac. Osnabr. Art. V. §. 56.* priuilegium Aufstregarum statibus Imperii illibatū conseruari disponit. Proxime sequitur *Ordin. Iudic. Aul. de A. M D C L I V. tit. 2. §. 1.* vbi verba leguntur: *Wir befehlen auch hiermit unserm Reichs-Hofraths-Praesidenten und Raethen ernstlich, und wollen, dass sie etc. etc. ihre priuilegia der ersten Instanz, iura Aufstregarum, etc. aller Gebühr nach sorgsamlich in acht nehmen, und den Reichs-Staenden unberührt verbleiben lassen.* Idem *Capitulat. Nouiss. §. 18.* spondetur: *Wir wollen auch etc. etc. einen ieden bey seiner immedietaet, etc. dem iure Aufstregarum, tan legalium, quam conuentionalium, vel familiarum, etc. etc. lassen.* Demum Aufstregarum plenissime confirmatur robur per *Recessum Visitationis Camerae Wezlar. de Anno M D C C X I I I. §. 9.* cuius tenorem in nota sub ° communico.

## §. VI.

und Regiment etc. quorum loco hic substituuntur: *Als dann so sollen wir oder unsers Abwesens, unser lieber Bruder der Roemische Koenig etc.*

© Ita vero Augustissimus Imperator constituit: *Als auch sonst gen den Reichs-Staende iura Aufstregarum etc. oeffters Prozesse und Mandate erkannt worden. So wird dem Cammer-Gericht anbefohlen, solches alles künfftighin sorgfaeltig zu verhüten, den iüngern Reichs- Abschied hierunter allerdings zu beobachten, insonderheit aber wieder den wahren Verstand*



## §. VI.

In denominandis et eligendis Aufregis ad praescriptum legum Imperii respiciendum. Circa Aufregas conuentionales recte ratio priuilegii familiarum habetur. In Serenissima Domo Saxonica priuilegium clarissimum reperitur <sup>a</sup>, prout haud minus Augusta Hassiaca Domus <sup>b</sup> ad exemplum prioris pari pacto optime sibi prospexit. Ab Aufregis Saxonis ad Cameram Imperialem valide prouocatur;

*Verstand der Cammergerichts-Ordnung, die in solcher P. II. tit. 23. specificirten vier Faellē, gegen die Chur-Fürstl. Fürstl. oder Fürstenmaessige und andere rechtliche Anstrage, darvon die erstere Chur- und Fürstliche Freiheiten in gedachter Ordn. P. II. Tit. 4. §. 4. ausdrücklich genemgt werden, zu derselben Beschwerde auf nicht gnungsum qualifisirte, oder der Gebühr nach nicht beschworne Narrats in keine Weise zu erstrecken, noch daderob die erstere Instanzen zu vernichtigen.*

- a) V. Illustr. GLAFEY im Kern der Geschichte des Chur- und Fürstl. Hauses zu Sachsen, in Beylagen, n. V. a verbis: Vnd anfaenglich da ie zu Zeiten in unster Fürstl. Regierung etwas vorkamen würde, darum wir uns mit freundl. Schriften und Berichten mit einander selber nicht moechten vergleichen, so wollen wir alsdenn unsre verstaendige, scheidl. und getreue Raethe darum forderlichen zusammen schicken, und dieselben gütlichen vergleichen lassen; Da wir aber durch dieselben auch nicht moechten vereinigt werden, so soll unser ieder vier weltliche und zwey gelehrte Raethe niedersetzen, und der Eid und Pflicht, damit dieselbige unser jedem zugehan, soviel die Sachen, darum sie niedergesetzt, belanget, loszuehlen, etc. etc.
- b) Conf. der Erbvertrag der Fürsten zu Hessen, wegen der Stamm-Anstrage. ad verba: Dafs sie einen solchen Anstrage unter sich haben, dafs unter ihnen klagender theil, vier von Adel aus seinen Raethen und Ritterschafft, die Landsassen seyn, vier Raths-Personen aus seinen selbst, oder ander seiner Brüder Staedten, wie das einem jeden gefaellig ist, und einen Gelehrten vom Hofgericht, et vice versa der beklagte, und darüber beyde Klaeger und Beklagter saemlichen einen Juristen aus der Vniuers. Marburg, innerhalb 6. Wochen nach des Klaegers Ersuchen beuenen und erwählen, etc.



tur<sup>c</sup>; e contrario ab Hassiacis omnis appellatio prohibita<sup>d</sup>. De modo procedendi, ab Austregis obseruando, non multa disseram, cum agendi modus in *Ordinatione Camerali*<sup>e</sup> fit praescriptus, quem clarissimi legum Imperii fundamentalium interpretes in operibus suis<sup>f</sup> iam dudum illustrarunt. Periculum virium saltem facere mens est in decidendis duabus huius argumenti quaestionibus, nimirum, quid per Procuratores coram Austregis agere liceat, et quomodo ab Austregis citatio testium fieri possit? Ad primam quaestionem respondendum esse censeo, procuratores, idoneo mandato instructos, omnia expedire posse, quae ex natura negotii proueniunt, exceptis iis, quae speciale mandatum requirunt. Circa alteram quaestionem puto, Austregas ne quidem litigantium statuum subditos, qui testimonium deponere debent, immediate vocare posse<sup>g</sup>. Denique monendum, ab Austregis ad Cameram Imperialem recte appellari<sup>h</sup>.

§. VII.

c) Leg. Dn. GLAFEY c. 1.

d) Confer. der Hessische Erbvertrag wegen derer Stamm-Austraegé.

e) Huc facit *Ordinat. Camer. P. II. tit. 2. 3. 4.*f) Laudo inter alios, viros illustres atque celeberrimos GEORG. MELCHIOR. DE LYDOLF. in *Commentar. systematica de iure Camerali Sect. I. Dn. DATTIVM* in *Comm. de Pace publ. L. I. c. 27.* et tandem Celeberr. LIMNAEVM in *iure publ. L. IX. c. 5.* qui istam materiam explicarunt.g) Vid. *Capitul. Caroli VI. art. XVIII.* Wir wollen auch die Chur-Fürsten, Fürsten, Praelaten, Grafen, Herren und andere Staende des Reichs (die obmittelbare Reichs-Ritterschafft mit begriffen) und Dero allerseits Vnterthanen im Reich, mit rechtl. oder gütl. Tagelistung von ihren ordentl. Rechten nicht dringen, erfordern oder vorbecheiden, sondern einen jeden bey seiner Immedietaet, Priuilegiis de non appellando et euocando, dem iure Austregarum, tam legalium, quam conuentionalium, vel familiarum, etc. etc. bleiben, etc. und keinen mit Commissionen, Mandaten und andern Verordnungen daruieder beschweren oder eingreifen.h) Praecipit hoc *Ordin. Camer. P. II. tit. 2 §. 2.*



## §. VII.

Privatorum arbitri, vti omni aevo, ita et hodie compromisso constituuntur. Reliqui modi, nempe, vbi compromisso clausula obstagii adiicitur<sup>a</sup>, et mandato arbitri constituuntur<sup>b</sup>, vere sunt singulares et infrequentes. Moribus vt plurimum in iudicem compromittitur: Hinc iuxta illos mores definitio *arbitrum*, quod sit *iudex*, a *litigantibus electus*, vt, *virtute iurisdictionis suae, causam controuersam legitime dirimat.*

## §. VIII.

Duas horum arbitrorum saltim agnosco species, nempe *statutarios*<sup>a</sup> et *compromisso partium electos*. Et parum refert, an compromissum pacto, an vero stipulatione sit initum,

- a) Liquidissima sunt verba apud LEHMANN, in *Chron. Spir. L. VII. c. 26.* in dem güttlichen Abtrag Margraue Rudolphen von Baaden, und der Stadt Speier: *Thaet er aber das nicht, wenn er dann zu Hauß und zu Hof, von der Burger von Speyr Botten wurde gemahnt, so solte er leiblich ohne Verzag nach der Mahnung zu Speyr gelangen, und nimmer von dannen kommen, bisß er das alles, daß sie nach der Minne (in Güte) gesprochen, und ihme offerlegt, gethan und vollstreckt het.*
- b) Hanc constitutionem statuit Illustr. COCCEIUS, in *diff. de redact. ad arbitr. boni viri. Sect. III. §. 1.*
- a) Reperiuntur eiusmodi dispositiones in *Iure Lubec. P. V. tit. I. art. 1.* a verbis: *Sondern da Entscheidung durch Vrtheil von nöthen, und von ihnen gefürdert wird, sollen sie dieselbige vor die FINDER weisen.* Interpretatur MEVIUS hunc textum, scribens: *Praeter iudices consuetudine inualuit, alias personas in iudicio constitui, quarum parte sunt, causas, in iudicio deductas, vbi ad sententiam eae submituntur, discutere, atque quid ex more pronuntiandum sit, coniecere ac definire. Quos repertores sententiarum aut FINDER, s. coniectores nominare solent. Simile Hamburgi inualuit et obseruatur, vti patet ex iure Hamburg. P. I. tit. VI. art. I. vbi, quos ius nostrum FINDER nominat, DINGLEUTE dicuntur. Addatur tit. 35. totus atque 30. art. 1. ibid vbi iterum tam derer Dingleute, quam der Vrtheils-Findungen, occurrit denominatio.*



initum, quum moribus pactis vis sit eadem, quae est stipulationi<sup>b</sup>.

## §. IX.

Eodem fere modo arbitri fori Germanici procedunt, quo res pertractare solebant iure ciuili. In eo tamen diuersa deprehenditur ratio, quod, cum moribus in iudicem compromittere liceat et soleat<sup>a</sup>, remedia iuris, coram arbitris iure Romano non adhibenda, apud nos locum sibi vindicent. Hinc, quia iudex, compromisso electus, causam vi iurisdictionis tractat, coram ipso et reconuentioni infitui potest<sup>b</sup>. Maxima etiam inde inter arbitrum iuris ciuilis et Germanici deprehenditur differentia, quod hic non solum ferendi, sed et exequendi sententiam praeditus sit potestate.

## §. X.

Explicatam Compromissorum fori Germanici indolem remedia iuris, quae circa ista competunt, excipiunt. Ad duo referuntur capita: Siue enim illustrium, siue priuatarum partium controuersias, arbitrio subiectas, considerem,

b) Mecum faciunt STRYCK in tract. de actionibus forensibus Sect. I. membr. 3. De actionibus ex conuentione expressa, et quidem simpliciter oriundis §. 3. et RITTER in diss. de compromissis fori Germanici, §. 23. ubi indolem eorum eruit. Verba eius ita leguntur: Moribus, postquam pacta aequalem auctoritatem cum stipulatione habent, ut supra §. XX. dictum est, Compromissa fori Germanici sunt simpliciter pacto, et stipulatio, licet non abrogata, infrequens tamen hac parte est. v. MEVIVS P. II. Decis. CC. XXX. n. 6. poena etiam iis necessario non adiicitur. IDEM n. 4. et 7. SCHILTER exerc. XII. ad D. thes. 17. inuaditionem eius in aliis quoque compromissis rariorem esse, asserit Dn. STRYCK in 2f. Mod. D. tit. de Recept. §. 7.

a) Prouoco hic ad auctoritatem maximi nominis ICTORUM, ZIEGLERII ad O. P. S. tit. I. de officio iudic. §. 2. verb. per modum compromissis, et Illustr. MENCKEN. in Proc. iur. comm. et imprimis Saxon. Electoral. Disput. III. tit. I. de officio iudic. §. 25.

b) de hac eo minus est dubium, quo certius, ad iudicium conuentionis reconuentionem adstrictam esse, O. P. S. tit. VI. §. diuwei abez.



derem, remedia, vel contra arbitros, vel partem apparent. Si arbiter compromisso non steterit, indeque alteri damnum intulerit, laesus suum contra arbitrum regressum instituit. Pariter arbiter, dolum committens, ad damnum datum refarciendum recte conuenitur. E contrario si arbiter rite atque secundum normam compromissi officio suo functus fit, pars succumbens autem lato arbitrio morem gerere nolit, ad executionem confugiendum.

## §. XI.

Prae aliis Germaniae territoriis sigillatim in Saxonia serenissimi legislatores omni aevo maximam curam impenderunt litium ambagibus recidendis. Quam ob causam in ordinatione processus iudicarii, et veteri, et recognita<sup>a</sup>, iudicibus serio iniunctum, prius de amicabili compositione, et hac deficiente, de litigio abbreviando laborare. Iudici hinc incumbit partes commouere, quo fatalium et terminorum ambages coarctent, cumque in finem compromissum ineant. Nec, quid sit aequius, video! Patrio enim affectu legislatores nostri moti, ne infinitis processibus bona subditorum, innumeris laboribus quaesita, forsitan distrahan- tur, voluerunt. Similis reperitur sanctio in summi Pro- uocationum tribunalis ordinatione nouissima<sup>b</sup>, et tandem praxis usum horum compromissorum abundanter confirmat.

## §. XII.

Peractis omnibus, quae ad explicationem arbitrii pertinent, labori meo finem impono, relinquens ea, quae pro viribus proposui, Lectoris Beneuoli benignae curae: progrediente tempore vberiores solertiae fructus quam certissime spondeo.

D 2

NOBI-

a) vid. tit. I. §. 2.

b) conf. pag. 10. 15.





NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
DISSERTATIONIS AVTORI

S. D. P.

P R A E S E S .

*P*erlegi dissertationem Tuam, labore non exiguo conscriptam. Thema, et rationem tractandi, laude sua mactō. Varia quidem circa tractationem monere potuissē, verum nihil addere volui, ne cogitationum fiat mixtura. Reddo Tibi hinc dissertationem Tuam, qualem accepi, meritum, inde promanans, Tibi soli relinquo. Euentus ad spem respondebit, conflictus ipse industriam Tuam decorabit praemiis. Summum Numen coepta Tua ulterius secundet! Vale faueque. Dab. Lipsiae d. XXXI. Octobr. A. O. R. MDCCXXXIX.













ULB Halle  
003 898 946

3




56:











DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
**A R B I T R I O**  
EX  
**I V R I B V S R O M A N I S**  
**E T G E R M A N I C I S**

ILLVSTRATO

Q V A M

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
INDVLTV

P R A E S I D E

**D. IO. GOTTLIEB SIEGEL**

IVR. FEVD. P. P. O. REG. ET ELECT. CVRIAE  
SVPREM. NEC NON CONSISTORII LIPS.  
ADVOCATO

DIE XII NOVEMBRIS M DCC XXXIX.

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISIONI

S V B M I T T I T

AVTOR ET RESPONDENS

**IO. AD. STEINHAEVSER**

D R E S D.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

1739, 35<sup>a</sup>

